
Cracoviensis Studiis. Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philosophor.
1723 die 6 Novembris

Pozycja 2988.

Lukaszkiewicz Matthaei Michaelis: Archivum coronarum philosophicae Palladis post superatum in arena literaria certamen VII. VV. DD. primae laureae Candidatis — apertum.



ARCHIVUM CORONARUM,

Philoſophicæ Palladis,
Poſt ſuperatum in arena literaria certamen,
VII. VV. DD. PRIMÆ LAUREÆ CANDIDATIS,
Dum in Alma Vniverſitate Cracovienſi,
PER
CLARISSIMVM ac EXCELLENTISSIMVM

D. M. CASIMIRUM STANISLAUM PAŁASZOWSKI,

Philoſophiæ DOCTOREM, Novoduorſcianum Dialectices PROFESSOREM, Collegam Minorem, Contubernij Staringeliani SENIOREM,
In ampliſſima Nobiliſſimorum Hoſpitum Senatûsq; Academici præſentiâ
Artium Liberalium, & Philoſophiæ Baccalaurei,
RITV SOLENNI RENVNCIARENTVR

APERTVM.

Applauſûs verò & gratulationis ergò
A
MATHÆO MICHAELE ŁUKASZKIEWIC, Crac:
Ejuſdem Laureæ Candidato,
Poeticô Calamô

DELINEATUM.

Annô Quô ex Archivo Virginis æternæ ſapientiæ prodijt Corona. 1723. die 6ta 9bris.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS.

IN
GENTILITIUM INSIGNE
PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMI DOMINI,



PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. GVILHELMO ANDREÆ ROBERTSON,

J. U. D. Ecclesiarum, Metropolitanæ Gnesnensis, & Cathedralis Posnaniensis CANONICO, Collegiatarum, Insignis Lovicìensis CUSTODI, Camenensis PRÆPOSITO INFULATO, sedê vacante Archiepiscopatus Gnesnensis Judici Delegato,

Domino Domino Avunculo suo & Benefactori Amplissimo,



Rchivum certantium in arena Palladis præmio destinatum, hoc ipso opulentius redditur, quod virtutum, ac meritorum Tuorum pretio adjungatur. PERILLUSTRIS & REVERENDISSIME DOMINE. Quod etenim frontis Tuæ amplitudine tegis, pretiosum est; quod rotundo ore promis, gemmeum, & quod agis, cernitur suo pondere æstimabile. Geminari ad sidera stemmaticũ Tui debuit Caput, quia teste Cælô, unus plurium laudes & Coronas mereris. Quinimo Tu Ipse dividi deberes, si Tuarum virtutum præmium æquivalens prætenderes. Conspirârant in Te honores,

ſed eò inter ſe diſcordes, quòd unus alteri Te invideat. Hos Tu, pro Te certantes triumphas meritîs, ſuperas virtute, antecellis pretîo ſapientiæ. Verentur Te illi, ad Themidis Aram Juſtiſſimum, amant oris & operis elegantiâ cultiſſimum, dividi à Te non poſſunt, cùm ſciant Te magnorum Nominum intimum. Omnino Te conſequi debent, qui ubiquè famam Nominis, Virtutisquè Tuæ divulgâſti. Palam eſt, quôd excelſam Tuam Indolem adhuc flore primo, quo pulchriùs ſapientiæ admoveres ſtudijs Romam uſquè tuliſti. Itaque metimur grandem animum hâc Magiſtrâ, quæ cùm Orbi erudiendo ſufficiat, ſola tantùm Tuæ capacitati reſpondit. Subiecit illa imperio mentis,quibuscunq; doctiores animi regnant dotibus, ut omnium ad Te traxiſſet ſtudia & affectus. Traxiſti; ſed ſimul & pulchrum eorum diſſidium, quo Te Gemmam ingeniorum Principes amabant, & publicis ſibi invidebant negotijs. Laudavit in Te mentem ſuam, aureum LUBIENIJ Caput, cujus ſublimibus pro hac Diæceſi cogitatis perficiendis, Ipſe Tuâ agendi prudentiâ ſuffeciſti. Vidimus Te Magni Principis partem illam; quæ ſola cordis eſt,publicis toties teneri oneribus, tanti ponderis fulcrum honor, jam Tibi ab hoc Principe parabatur, niſi Tu mereri magis, quàm coronari malles. Magnitudinem tamen Tuam, vel ſolo addictæ Tibi Celſitudinis æſtimat Orbis judicio, & amplius meritorũ Theatrum, quale in Majori Polonia inſtaurâſti; non aliter contemplatur, quàm Cæleſtia cum admiratione ſolet. Vocavit Te in partem curarum Eccleſiæ ſuæ Magnus ille Poſnanienſis Antiſtes BARTHOLOMÆUS TARLO, & oblato Canonicatûs honore, Architectam magnorum operum Aſciam, Tuis commiſcuit manibus. Nempe Auditorem Cauſarum fe-

cit,

cit, securus semper inviolatæ Justitiæ, quòd capacibus inclinata humeris, nunquam in ruinam propenderet. Non Ephestionem Alexander majori dignaretur favore, quàm Te Tiaratus Ille Præsulum apex; cujus tanto invinculatus affectu extitisti, ut liberè Cor Præsulis dici potuisses. Paribus favorũ documentis prosecutus, Nominis & Honoris Successor Illustrissimus PETRUS TARLO, qui Te ad funera usq; vivido pectore adamavit. Non tacebunt sæcula, licet sub signatoria gemma, Secretariatũ Regni Minoris Sigilli. Arcanum hoc accendent ceræ, quàm Te undiq; ambire honor, undiq; publica decreverunt negotia. Evocavit inquam merita Illustrissimus JOANNES de Alten BOKUM, pro tunc Regni Procancellarius, ad sigilli munia, fortè, ut eliquatos virtutum sudores, consultissimæ prudentiæ vires, & posteris expectandas ingenij opes, hâc Orbi consignaret gemmâ. Supra calamum & artis colores est, Reginæ florum Rosæ & Primatialis Purpuræ augusto Te admotum lateri, in partem Panegyris scribere. Magna enim celebrantibus, maiora hîc exhibes. Ambiere nimirum manus Tuas labores Principum, cùm ipsa vicaria Regum Poloniæ Maiestas, (Celsissimo STANISLAI Nomini hîc assurgo,) Te cum sua partiri Arcana, ac velut in magni Atlantis humeros non modicam ingentium curarum molem, reclinare visa. Ut multa taceam: Judicem Te Metropolitanæ Curiæ suæ habere voluit, & ad bilancẽ æquitatis appendit meritũ. Incussisti è sede illa nulli metum, præterquam improbis, ubi; tenacem recti animum non causæ pondus, non favor inflectebat. Experiri jam Tuam Orbis magnitudinem poterit, cum moderatorem illum Regni Poloni animum, in Tui æstimationem traxeris: ut quâ dignas Virtutibus Tuis cogitavit Co-

ronas, Camenensem multis superposuèrit Tiaram. Vidit à Te Archidiæcesis illa, velut à Themide evulgata Oracula, & ut sua Tuis longiùs conformaret arbitria, delegatû Aristidem è voto Amplissimi Ecclesiæ suæ posuit Senatûs. Quis verò pari prædicet elogio illum dicendi nitorem, cui se millena impressit venustas. Ivisti per Cælitûm Exedras, etiam toties à Coronato Poloniæ Capite audiri dignus, cuius singulæ voces totidem gemmæ, archivo gloriæ asservandæ. Non poterant virtutes magni Principis & Primatis Regni, parentante illi Polonia, pulchriùs in posterorû ire memoriam, quam ore Tuo ut potè, quô superi etiam, si extra Cælum essent, loqui vellent. Tantum Te meritum & virtus pingit, tantû Fratrem Tuum CANONICUM REGULAREM S. SPIRITUS de Saxia Orbis Caput loquitur. PETRVS hic, seu solida virtutum petra, vel in ipsa basi, quam suâ signat modestiâ, optimos quosq; adæquat. Tua in illo affabilitas, ridentes vultûs Gratiæ nulli non arrident, cui laudi hoc accedit, quod placeat omnibus, superis vel maximè, ut Tu soles. Rebus Polonorum intentus; nam toties coram Apostolica sede summis Regni profuit negotijs. Porro, vobis eædẽ animi dotes, idem virtutum pondus, cui cùm hæc pagella non sufficiat, scribet aliud æternitas. At vectigalis Nomini Tuo Calamus, vel illud tantùm strictim adnotat, quod vitam Tuam velit, non jam plurîû annorum, sed sæculorû circuitu coronandã. Et hinc est primum, quod nostræ Tibi militent laureæ, alterum quod meû obligati pectoris svasit debitû. Pande igitur Tuæ protectionis patrocinia, quibus nostra assurgens triumphet laurus. Quæ ideò à me suscipitur, ut firmiora à Laureato cliente vota habeas, id est vitam diutissimè fatis intactam. Ita precor:

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ.

Obligatissimus Cliens
Author Operis.

THAUMATURGO LAUREARUM PRÆSIDI, LAUREATORUM TUTORI, DIVO JOANNI CANTIO,

Sacræ Theologiæ Doctori & Professori,

Regni Poloniæ & Vniversitatis Cracoviensis

PATRONO,

Dum Neo-Candidati, pro suis orant Coronis, APPENDUNT EPIGRAPHE:

Manet ultima Cælo.

SÆculis Saxum Parium loquatur
Gesta multorum; Tua Magne Doctor
O quis æterno! benefacta nobis,
Scribet in auro.
Laudibus Sacris, meritis Tuisq;
Lustra conjurant, veniunt & illis,
Desinunt anni, generosior Tu
Arbiter Ipse.
Matris annosæ, titubantis ævi,
Cujus in quarto senio refusi
Regna Saturni, sua, Tu reducis
Aurea Sceptris.

Cuncta fatorum super imminente
Corruunt ictu: spoliat vetustas
Quæq; ; sed Regum, Procerum Palæstra
Læta pericli.
Præpetes per Te remoratur alas
Temporis; sensit, nihil in senecta
Semper hinc lauru, viret, ac sit inter
Tempora veris.
Munerum Cæli pretium retexit,
Frontium quotquot meritis coronas
Porrigit, nusquam sinuare cessat
Florida serta.
Laurus à lauru venit, & trophæis
Inclytis sese, geminant trophæa
Docta; Te magno Duce provocata
Orbe triumphant.
Surgit his victrix, redimita Pallas:
Quo genu flectit, venerata sceptris
Te suum Numen, decus & Poloni
Grande Lycæi.
Solvit hinc census, Tibi literatos
Impetu Pindi, juga non citato
Scandit, ut Sacros Cineres adoret,
Prona frequentat.
Tu favens semper precibus profundis,
Ut Tibi longum studium litemus,
Ferre commenda priùs eruditæ
Præmia frontis.
Sic decus nostro capiti recline
Cedet in partem pretij coronæ,
Qua nites cælo medius sereno
Clariùs astrîs.

PER-

PERILLVSTRIBVS CLARISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

D.D. EXAMINATORIBUS.

Perillustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino,

D. M. STANISLAO PANISIO,

Philosophiæ Doctori & Professori, Collegij Minoris Seniori Patri, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Canonico, Parochialis in Kromołow Curato, ac interea Facultatis Philosophicæ

DECANO.

Perillustri Clarissimo & Admodum Reverendo Domino,

D. M. MATHIÆ FEDEROWICZ,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio & Cursus Vladislaviani Professori, Ecclesiarũ Collegiatæ S. ANNÆ Crac: Scholastico, Parochialis in Ianina Curato.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. CASIMIRO PAŁASZOWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Scholæ Dial: Professori, Contubernij Staringeliani Seniori, Promotori suo Dignissimo,

In vim debitæ gratitudinis

APPENDUNT EPIGRAPHE:

Docta nobis dispensante manu.

UT jactat altas regifica penu,
Regina Pallas divitias; probat
Nunc orbis ingens, quàm fideli
Dos capitis comitata censu
Sertis & auro; sub pretium genis
Pulchrè refictis, fulgurat & magis
Gangîsq; Lydijsq; conchis,
Irrubet ingenijs metallô.

Hic merce rerum, cincta per atria,
Stoæq; culmen; non humili manu
Mercatur arras; hîc peramplum
Fert pretium faciliq; gazas
Grandes per ausus pectore conserit;
In quem redundans munificentiùs,
Hic inde circumstat supellex,
Ingenuis operosa curis,
Gemmæ recedunt: cessat amoribus
Informe pondus; viscera quod gravat
Sub mole Hydaspei recessus,
Et pelagi vitreis sub undis
Iacet repostûm. quando adamanteâ
Venâ fluentis, fons magis omnibûs
Quà volvit in campos Hyantis
Castalidum ingenijq; lucra;
Et qua merentûm pulchra monilia,
Virgam metallo divite frondeam
Humectat & pernox tuetur
Attalicum bibit omne munus,
Hèu! Dearum Mater; & unica
Iovis propago; quis satis integra
Gazæ rependat? quis recenset?
Te Dominam potiora dantem.
Sunt quos sacratâ mercê scientiæ
Miratur orbis; jam Tua quos frequens
Procella circumstat refertq;
Divitijs operosiores.
Hic literarum cultus & aurea
Vis mentis altæ, vis sapientiæ,
Illustre prætervecta donum,
Luce palam meret æstimari
Labore mundi. Quid memorem priùs
Laudes PANISII culmina gloriæ,
Quem fama, festivusq; rumor,
Perq; Lycæa stoasq; latè.
Fundens

Fundens, suprêmis claret honoribûs,
Quô nunc, per omnes nobilis ingenîj
Stagyra crevit, Socratesq;,
Purpureo Duce promovente.
Profunda servans abdita se penes,
Rerum latentûm sæcula quæ tegunt,
Complexus exemplo notando,
Eximiè sapit omne doctum.
Quæ sacra scribet Te FEDEROVIUM
Arundo? cujus gloria prævolat
Cursu biennali per ævum
Ire Sophum movet & labores
Astris reponit. Tu ruis aureo
Torrente svadæ, rostra Deûm sacra
Pulchrè triumphas magne Tulli!
Consiliô eloquiôq; magne.
Non hic ferendum, quæ PAŁASZOVII
Mens; heû! studentûm contuor agmina
Classes per integras honori,
Ausibûs ingenij disertîs.
Te Musa magnum scribet Apollinem,
Orator acrem, Nestora præferet,
Per regna Sarmatæ Juventus
Tollet amans referetq; nomen.
Consedit alto gratia pectori,
Venusta dictis in sapientibus
Est ex tacenti quodq; discas
Fronte, jacit placidum Cleanthis.
O juncta virtus! o bene mutuæ
Mentes decoræ! nomina Palladis!
Ut serta proventu beato
Frontis honos & amæna laurus
Spectanda crevit: sic vireat procul
Fortuna vobis, astra favoribûs
Omnes coronent & per ævum
Grande, ferant meritis honores.

ARCHIVUM
Coronarum,
Probatis in Arena literaria Athletis,
APERTUM.
II. V. D. ANDREÆ ZAYFRET, Crac:

Cælestem Ariadnæ acclinat coronam.

CUM LEMMATE.

Et sorte & arte

QUæ Cælum delet mundi popularibus auris,
Vatibûs & moli quæsitæ, destinat alto
Judicio nobis; fulgur tunc omne per ima
Ætheteæ traxisse domus, tunc solis amores
Ad Patrium remeare decus, tunc currere stellas
Accipimus. Movet ut solers industria sphæras,
In te Tu ZAYFRET Cæli documenta laboris
Monstras, unde Tûis primâ cum luce coronis
Sunt in Urbe Craci Regum Diademata sola
Quæ servat; Superûm occulto suffragia nisu.
Hic Lucina dedit, tanto Tibi Consule nasci,
Est qui pars legum columen candorq; Senatûs
Urbis amor: toties quem jam stupuere vocatis
Consilijs Patriæ Proceres, pro Civibus atq;
Urbe sua Tullî legatum voce tonantem.
Hæc Patris, ut pulchro circumstat gloria tecum,
Sic ultra celebrant excelsæ mentis honores.
Vultu grande geris dotum pretiosa recludens,
Quæ morum gravitas, & pulchro fædere junctus
Candor, & ingenium, grati comitatur & oris
Temperies, etiam nutus studiosa modesti.
Hæc documenta Viri si semper Pallade digna,
Et pretio: sertis in Te lauruq; triumphant.
Sic cui se nectunt surgentibus astra coronis,
Successu tanto, nômen super æthera tollent.

III.

III. V. D. ADALBERTO RZEPECKI,

Coronam è diverſorum florum ſertis contextam offert.

CUM LEMMATE:

Nectit & Ornat.

NUnc quæcunq; tegit Sanctior accolas
Vos cortina, Deæ! gloria collium!
Nympharumq; chorus! plenus ab agmine
Vatum montis in arduo.
Huc ferri vacuum pectus, & abſtinens
Sertorum pretium non patiamini,
Huc plenis calathis, Idalium decus
Et conferte recentibus
Phæacum folijs vere nec unico
Immortale virens. Muſa RZEPECCIO
Nectit ſerta viro, Quem celebrat labor
Pernox; otia Palladis.
Appendunt plurimis exhibitos dies
Exemplis operum non humeros quibus
Reclinat, ſtudijs hora Cleanthicis
Omnis deproperat cui.
In Te jam Cathedræ doctaq; porticus
Expectata movent vota; nec irritus
Imples ingenij dotibus; audies
Cunctis ſufficiens Sophus.
Semper cuncta tenax virtus in ardua
In Te exempla dabit: Tuq; laboribus
Cinctis, laurigerum more capacium
Tolles temporibus nem u.

IV. V. D. JOANNI KOZŁOWSKI,

Coronam variô gemmarum ditiſſimam pretiô

CUM LEMMATE:

Suo pondere Tuta.

IBis Coronarum decus per inclytum!
Amorq; noſtræ Palladis!
Qvocunq; veræ laudis & fama vocat,
Avara virtus indolem.
Ut merce frontes cernis ardent divites,
Magni laboris vindice;

Sic Tu probato clarus in molimine
Aſſume laurum Pompeî,
Qualem triumphans ſummus inter induit;
Romæ ciens ſpectacula.
Majore cenſu Pallas æſtimat probas,
Dotes virûm ſudantium.
Hæc namq; ſolîs paſcitur laboribûs
Auguſta virtutum Dea.
Hinc munus ingens quod fluit KOZŁOVIO,
Hoc lege ſuſcepit modò.
Immota virtus hæret, & robur potens
Ineſt decoro fædere.
Cûi jure frontem cinget arbor nobilis,
Intus notans latentia.
Coronam nectet gemmeis ſucceſſibus,
Primus dierum Conditor.

V. V. D. LAURENTIO ROMPALSKI,
Coronam Lauream Victoribus dari ſolitam,
CUM LEMMATE:
Virtute prævia.

O Cui Cælum dedit ominatam
Aleam ſertis, rutilansq; laurus
Crevit à cunis, ſacra quem vocârunt
Nomina florum.
Vince Fortunam, paribusq; de Te
Docte ROMPALSKI, ſtudijs & auſu
Litiget virtus, bene nata Tecum
Serta novando.
Moribus præſtas, merito Catones
Et Numas longè ſtudio potenti;
Non inexpertum grave qui relinquit
Omne, triumphas.
Gratiæ ſeſe placidis in vlnis
Pectori fundunt, Tibi fama latè
Aureum nomen tulit Orbe toto
Lecta per aulas.
Tu flues Tullî latices per omnes,
Et ſacras Phæbi vacuabis undas,
Aureus ſemper pluet imber alto.
Neſtora tandem.

Tè

Te colent cuncti. Premit eruditum
Nunc cui laurus caput, in reclines
Gloriæ, ductrix procul evocabit
Virtus honores.

VI. V. D. IGNATIO LICHWANSKI,

Coronam Imperialem seu florem, qui naturæ industriâ gratiosum imitatur sertum.

CUM LEMMATE:

Ipse sibi sertum.

NOn hæc sertigeris, nexibus indoles
Virtuti propria est; qualis inertibus
Regum sorte coronis,
Mendax pompa perambulat.
Artis nec pretij nobilis indiga,
Dotem Mæoniæ non petit auream,
Ad frontis diadema,
Orbis nil pedibus rapit;
Ut Fortuna solet. Pingitur at suo
Ostro, quæ meritum, quæ pretium sibi,
Nec non sceptra, coronæ,
Pulchro Regis in ambitu.
Desunt Aonijs serta decoribus
LICHWANSKI capiti, sed Tibi quæ facit
Princeps pectoris ejus,
Inter dives opes suas.
Hæc illum redimit, dotibus emicat,
Inter docta stoæ prælia mentium;
Quæ stagyra frequenti
Profundo studio movet.
Hoc heû ille sagax, vividus ingenî
Ingentisq; potens, Palladis usibus
Non cessante labore,
Lustrat docta volumina.
Ex his pulchra sapit, mellaq; colligit
Vir semper sapiens, hoc agit ut labor
Pro mercede coronam
Laudis, suscipiat suus.

VII. V. D. LAURENTIO BĘDZINSKI,

Coronas, singulæ heroum virtuti distinctas à Romanis necti solitas

CUM LEMMATE:

Dignus potiore triumphô.

EST lustrare Tuas, non humilis labor
Laudes. Currite Gratiæ
Vestri fama ferat, carminis alite
Virtus quem popularibus
Cælum sola tenens; ignibus eximit;
Quem cultus facit artium
Ingens, ritè metris, vivere nobilem &
Astris laudibus invehi.
Debetur meritò, quævis adorea
BĘDZINSKI, cui gratior
Mens ac herculeis functa laboribus
Inter prælia Palladis
Felix hic animo pars potior Poli
Volvens Ipse celebria.
Cælestem studijs Uranien colit,
Stellas ad numerum vocat,
Hinc majore caput quæritat agmine
Sertorum decus aureum
Sensit facta viri, non quibus integer
Pensandis Helicon satis.

I. V. D. MATHÆO MICHAELI LUKASZKIEWIC, Crac:

Ejusdem Laureæ Candidato,

AVTHORI OPERIS,

In argumentum mutui affectûs

ANDREAS ZAYFRET, Crac:

Coronam auream septem pondo, Claudio Cæsari post victoriam, à Britannis dono missam offert

CUM LEMMATE:

Cer-

Certamine primus & Coronâ.

QVò poſſis, major Thuſcîs excedere ſaxis
Aût vicina Polo, vertice ſtare Tuo.
Nunc aſcende volans; qui primus prælia geſſit
Muſa! redit metro, mille canenda ferens.
Grandibus hic cæptis auſus pugnamq; docebat,
Et primus fronti, lecta trophæa tulit,
Dux virtutis acer, noſtrorum Duxq; laborum,
Tramite quo laudis, venerat Ipſe comes.
Indidit, hæc celſos, generoſa modeſtia mores
Ingenio victrx, indolis alta tegit.
Pectore Romano quidquid facundia lingvæ
Auritæ potuit, cuncta refuſa tenet.
Nec minora decent, cûi ceras ſplendor avitus
Accendit gemino ſidere Luna ſuo:
Vrbis Te Craci proles generoſa Parentum
Conſul, amor Procerum, delitiumq; dedit.
Galenus Lechiæ, cerebro qui Pallada clauſit,
Et cujus nomen, perfida ſæcla movent.
Sed memorem fruſtra meritum, cum grandis imago
Altera Te ſurgit, altera Fratre Tuo
Dotibus Æneam pingit: complexus ab alto
Omnia quæ ſtudijs, Pallas amæna tulit.
Hìc majore venit cenſu pulcherrima laudum
Portio, vittarum gloria, gemma Domûs
ROBERTSON; Quem fama colit cunctisq; loquendũ
Scribit: cûi plantis Laurea noſtra cadit.
Hâc Te parte Domûs, hôc pulchro mentis honore
Conceſſum ſertis; aurea ſola decent.
Hinc Lauru præcinge caput frontemq; metallo
Quod ſignet ſemper, parta labore Tuo.



Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. MARTINI WALESZYNSKI,

S. Th: Doctoris & Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiarũ Collegiatarum; S. FLORIANI Clepardiæ ad Crac: Canonici, Siradiensis Cancellarij, Scarbimiriensis & S. MICHAELIS in Arce Crac: Custodis, Montis S. GEORGII in Scepusio Præpositi, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procuratoris, Ordinarij Librorũ per Diæcesim Crac: Censoris, Scholarũ Novoduorscianarũ & Contubernij Hierosolymitani Provisoris, Studij Almæ Vniversitatis Crac: Generalis ac Vigilantissimi

RECTORIS.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0023720